





[Faint, illegible handwriting on aged paper]

1.
34
y
5
/



1684.

1. R. Bechmann, Joh. Volk: De jure nummularum. 2 Sumpt.

1700: 1719.

3. Bechmann, Joh. Volk: De teste in propria causa.

4. Bechmann, Joh. Volk: Miscellaneorum dubitationum

ex vario jure de promptuariis centuria

5. Bechmann, Joh. Volk: De costa damnata. 2 Sumpt. 1684

1733.

7. Bechmann, Joh. Volk: De amicitiae compositione

8. Crophius, Jo. Baptista: De Normannis Siciliae

Neapolitanae domus.

9. Turrius, Joh. Trivorum: Sceptum boni principis,
quod pichas Georgii Trivori Marchionis Branden-
burgensis praebet.

10. Faschius, Augustinus Huricus: Sterilitas

11. Faschius, Augustinus Huricus: De mola.

12. Graub, Julius: De excusatione absentiae

13. Graub, Julius: De electione

1684.

14. Grantz, Tobias: De principiis juris personarum occasione
re electionis Munitio... Struvi... lib I tit. 3, 4, 13,

14. 15.

15. Grantz, Tobias: De natura et constitutione juris occasione
re electionis Munitio... Struvi, lib I. tit. 1. & 2...

16. Hartung, Joh. Christophorus: De homicidio indirecto

17¹⁷¹⁷ Hartung, Joh. Christophorus: De schultetibus Heimburgis
et scabibus paganicis.

18. Hartung, Joh. Christoph: De eo, quod iustum est circa
instrumenta edenda.

76.

me



10

14.

15

16.

17.

18

Handwritten text on the right edge of the page, partially obscured.



2, 84. 51.
S. 1113.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

JVRE NUMMEL-
LARVM

1684, 1

Non Stranger-Recht

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA, INDULTV
Magnifici Jctorum Ordinis in Inclyto

Athenæo Salano

SVB PRÆSIDIO

DN. JOHANN-VOLK. Bechmann/
Hereditarii in Obern-Gröbra/

Jcti, Exempti Imp. Comit. Palat. Cæsar. & Civis Ro-
mani, P.P. Cod. Jur. Publ. &c. Famigeratissimi; Consil. Sax. Cu-
riæ Provinc. ac Scab. Assessoris Gravissimi; Facult. Jurid.
h. t. XI. DECANI Spectatissimi

Dn. Patroni ac studiorum suorum Promotoris
maximè devenerandi

Ad Diem Novembris M DC LXXXIV.

Horis Loque consvetis

Publico Eruditorum Examini

subjiciet

CHRISTIAN BENJAMIN Herk/

Ruhlandô Lusatus.

JENÆ, Typis PAVLI EHRICHII. 1700.

A



DISSERTATIO JURIDICA

DE

JURE NVMERL.

LARVM

CHRISTIANI BENJAMINI

IN

ALMA MATER MARCHBURGENSIS

ANNO MDCCCLXXXV

CHRISTIANI BENJAMINI

IN

ALMA MATER MARCHBURGENSIS

ANNO MDCCCLXXXV

CHRISTIANI BENJAMINI

IN

ALMA MATER MARCHBURGENSIS

ANNO MDCCCLXXXV

CHRISTIANI BENJAMINI

JURIS, THEOPHILUS





I. N. D. N. J. C.

PRÆLOQVIVM.



Optimi hoc est Legislatoris & cujusq; Magistratus officium non tantum bonos tueri sed & malos punire; siquidem qui his parcit illis nocere creditur; & nulla unquam Respub. felix fuit, quæ non adversus delinquentes extenderit nervos: nullumque certius interitus Reipubl. proditum extat argumentum, quam ubi virtuti suus negatur honos delictis poenæ non dictantur meritæ. Quamobrem saluberrimè ab Imperatoribus Diocletiano & Maximino constitutum in *L. si operis 14. C. de Poen.* quod Reipubl. intersit, ne poenæ facilè dimittantur malis si enim hoc fieret, temerè alii ad maleficia profilirent. Quod etiam intendit Iustus Cæjus, dum in *L. si à reo 70. §. Illud quod s. ff. de Fidej.* dicit: magnam rationem svadere ob maleficia poenas solvi; nam

A 2

Ode-

Oderunt peccare mali formidine pœna. Quem-
admodum autem varia sunt scelera variaque de-
licta, quæ hinc inde perpetrantur, ita etiam non
unius generis proditæ sunt pœnæ, sed pro ratio-
ne circumstantiarum admodum variant, adeò ut
interdum quis mitius, interdum gravius puniatur;
Inter tot variasque pœnas prostat quibusdam in
locis etiam pœna Numellarum die *Strasse des
Prangers oder Halseisens*/ qua rei pro qualitate
delicti afficiuntur. Et cum hæc pœna, pariter
uti omnes aliæ pœnæ tam civiles quam crimina-
les, jus aliquod à superiori concessum vel alio le-
gitimo modo quæsitum præsupponat; operæ
pretium me facturum esse existimavi de hoc *jure
Numellarum* disputationem quandam pro exer-
cendis Ingenii viribus conscribere & potissimum
inquirere, ad quodnam Imperium an merum vel
mixtum seu hodiè, an ad superiorem an inferio-
rem jurisdictionem pertineat. Ut autem hoc
eveniat feliciter, ante omnia Supremum illud
Numen devotis imploro precibus, ut gratia, au-
xilioque suo mihi adsit; deinde Tibi quoque
L. B. hoc quale quale conamen amicè officiose-
que commendo. Sit ergo

CAP.

CAP. I.

DE

Generalibus Etymologia Homonymia &c.

I.



Vanquam rerum tractatio semper potior sit
arg. L. 17. ff. de LL. & L. 41. §. 1. ff. de Jure dot.
 Nominis tamen & verborum priorem habendam
 rationem esse haud obscure colligitur ex
L. 1. pr. ff. de J. & J. & L. 1. ff. de R. C. nam ἀρχὴν πειθεύσεως
 πρὸ τῶν ὀνομάτων ἔκτισκιν εἶναι i. e. Principium eruditio-
 nis esse intelligentiam verborum eleganter docet Socrates
 apud Epictetum; vid. Wissenb. *ad Tit. ff. de V. S. Pr. Disp. I.*
 & rem illum satis intelligere non præsumi qui verba prius
 non cognoverit monet Magnif. Dn. Stryck Præceptor meus
 æviternum colendus *Vol. 2. D. 2. C. 1. n. 2.* Hinc & ego ne
 illotis ut ita dixerim manibus, quod nefas atque inconve-
 niens putat Jctus Cajus in *L. 1. ff. de O. J.* ipsam rei arcem
 aggrediar non incongruè me facturum existimo, si verbo-
 rum originem atque significationem ante omnia perlu-
 straverim.

II.

Et sistit se mox in Rubrica hujus nostræ Disputationis
 Vocabulum *Juris* quod denotat nobis juris constituti effe-
 ctum, seu facultatem aliquam concessam. Ulteriori
 hujus vocis Explicationi ut impendatur opera non opus

A 3

esse

esse puto, siquidem de hoc multa ubivis jam obvia, multique sunt qui non exiguam in hoc nomine *Juris* enodando impenderunt operam, quos ex parte allegavit Dn. Stryck. *d. Vol. 2. D. 5. C. 1. n. 2.* ubi *n. 4.* præprimis multâ cumulat Laude Dn. Mauritium, quem in *D. ff. de Princip. Juris publ. Germ. C. 1. n. 2. & seqq.* accurate hanc rem excussisse dicit: Ad quem brevitatis ergò B. L. remitto.

III.

Sequitur alterum Rubricæ Vocabulum, *Numellarum* in quo evolvendo ut paulò prolixiores simus haud inconueniens putamus: Quandoquidem autem hoc Vocabulum in jure Civil. Rom. non occurrat, invenitur tamen tam apud JCTos quam apud alios Autores qui in sequentibus allegati videbuntur; Quòd latinum sit nullum est dubium. unde vero suam habeat derivationem, variant Autores: Turnebus, (quem allegat Joh. Gerh. Vossius in *Etymologico Linguae Lat. sub hac voce*) *L. 16. c. 11.* censet esse à *Nuo* propterea, quia, qui eò vinculo constrikti erant (nam dicit vinculum fuisse ligneum quo collum insertum comprehenderetur) nuere, dimissoque capite esse cogebantur; Vnde & Græcis dicitur *κίφω* à *κίψω* h. e. nuo propendo, capite sum obstipo Joh. Gerh. Voss. *d. 1.* Videtur ergò *Numellam* quasi *Nuellam* abundanti literâ *M* dici à *Nuo*, ut *Luella* à *Luo* vid. Martin. in *Lexic. Philolog. in hac voce.* Aliam sanè non contemnendam proponit derivationem Christianus Becmannus *de Origin. Latin. Linguae Lit. N. Pag. 749.* nimirum nominari putat à forma *Numorum*, quos Articuli seu ligamenta mutuo juncta repræsenterent; sicut omninò in omnibus penè hoc videndum *Numellis.*

IV.

IV.

Quod attinet Homonymiam sive acceptiones hujus vocis, sequentes tantum licuit invenire: Quod sumatur (1) pro genere quodam vinculi quo deligantur quadrupes, quod ut plurimum solet fieri ex nervo & corio crudo bovis teste Festo *de Verb. Signif. pag. 127.* Conf. Jacob. Pontan. *Progymnasm. latin. Libr. 3. Progymn. 23. pag. 595.* & sic usum fuisse hoc Vocabulo Columellam *Libr. 6. C. 19. & L. 7. c. 8.* refert Faber *in Lexico suo sub hac Voce.* (2) Pro Machinae quodam genere ligneo ad discrucianos noxios qui collum & pedes immittuntur, uti Nonius Autor est, quem iterum allegat Faber *in Lex. Add. Turneb. L. 26. c. 11.* Hinc etiam est, quod Plautus inter Carnificis Instrumenta numeret *Asinar. Act. 3. Sc. 2. vers. 5.*

V.

Hæc ultima acceptio nostræ fermè convenit: nam nos sumimus pro illis ipsis signis incurvatis plerumque ferreis, quæ vel collo, vel manibus applicantur, sive appendeant (1) Parietibus Templorum, Curiarum & Tabernarum quorum sic mentio fit *in Constit. Elect. Saxon. P. 4.* vocanturque *das Hals-Eisen* sive (2) statuae cuidam lignæ seu lapideæ in publicis locis extanti, quam nostro idiomate efferimus *der Pranger.* Et hujus mentio fit *in Constit. Crim. Caroli V. Art. 115. 123. 161. & 198.* Aliis in locis vocatur *die Staup-Säule* ut & *der Rack* seu *Schmach-Rack* de quo vid. Alemann. *in Palaestr. Consult. pag. 46.*

Alio nomine hæc Statua dicitur etiam Postellum *Mynsing. Resp. 16. n. 30.* Palus Numellarius *Dn. Stryck. d. Vol. 2. Disp. 11. c. 2. tb. 4. n. 11.* & Columbar vid. Turnebus *d. L. 26. cap. 2.* Pontanus *in Annot. ad d. L. 3. Progymn. 26. pag.*

pag. 641. Unde Plautus: Nam in columbari collum haud multo post erit tuum.

VI.

Ex quibus dictis jam facile apparet quomodo describendæ sint hæ Numellæ: Scilicet quod sint incurvata Signa seu Instrumenta ferrea, quæ applicantur gulæ vel collo, appensa vel Parieti cujusdam ædificii publici, vel statuæ cuidam lignæ seu lapideæ in loco publico editiori & eminentiori erectæ in infamiam & dedecus delinquentium personarum. Vid. Matth. Coler. *P. 2. Decis. 240. n. 1.* Seu brevibus: Quod sint Instrumenta ad pœnam, quâ reus prævia sufficiente causæ cognitione à judice competente & habente jus Numellarum pro qualitate delicti afficitur. Vid. Carpz. *in Pr. Crim. P. 3. Qu. 109. num. 73.* Quæ pœna aliàs dicitur Catamidiatio à *καταμειδία* quod est publicitus aliquem deridere, quemadmodum teste Spartiano Bonorum decoctores olim in Amphitheatro catamidiabantur. Philipp. Ludov. Authæus *in Adait. ad observ. Pract. Webneri sub Voce Pranger.*

VII.

Rectè Numellæ dicuntur pœna quando scilicet in iis quis sistitur, cum tendant ad delictorum vindictam, nam omnis Noxæ vindicatio pœna propriè dicitur per *L. 131. ff. de V. S.* An autem sunt pœna corporalis? Et affirmari hoc quidem posset de Jure Sax. per *Art. 59. Weichbild ibique Gloss.* ubi Numellæ ad instar furcarum recensentur inter pœnas corporales: Ast benè dissentire videtur Carpz. *in Pr. Crim. Qu. 129. n. 51.* non admittens; Numellas esse pœnam corporalem seu corporis afflictivam, quia per hæc corpus directò non affligitur, sed tantum per indirectum; Imò interdum sunt tantum præparatorium quodam

dam poenæ corporalis irrogandæ prout patet ex Ordinar.
Carolina Art. 198. *ibi*: öffentlich am Pranger gestellet/
und fürter mit Ruthen ausgehauen.

VIII.

Quoniam autem ejusmodi Numellarum erectio, iis-
que punitio præsupponat, uti jam antea dictum, jus quod-
dam, hoc verò non cuiusvis indistinctè competit, sed
tantum illi cui hæc animadvertendi data est potestas; ideo-
que necesse erit, ut in id inquiramus, quo fine etiam bono
cum DEO progredimur ad

CAP. II.

DE

Iis qui gaudent jure Numel- larum.

I.

PRæmissis itaque generalibus ad specialia nos converti-
mus; & quoniam semper à potiori debet fieri denomi-
natio; hic etiam nos hoc observabimus.

II.

Extra omnem ergò dubitationis aleam positum est,
hoc jure Numellarum gaudere Imperatorem & quemlibet
Statum Imperii in suo Territorio vi potestatis territorialis
Krafft Landes- Fürstl. und Landes- hoher Obrigkeit/
quæ est potestas summi post Imperatorem Imperii eique
connexorum Regalium in omnes territorii subditos Limn.
de Jure publ. L. 4. c. 8. n. 183. Etenim cum jus superiori-
tatis omnia Regalia tam majora quam minora contineat
Magnif. Dn. Rhetius *in Instit. Jur. publ. L. 2. T. 1. §. 11. §.*

B

T. 18.

T. 18. §. 3. omninò etiam comprehendet jurisdictionem tam civilem quam criminalem seu merum Imperium Dn. Rhetius *d. L. 2. T. 6. §. 12.* vi cuius hoc jus competit, uti ex seqq. patebit.

III.

Quoniam autem hii Status Imperii jus superioritatis territorialis habentes sapitiùs certa Regalia in Subditos per investituram vel aliam concessionem transferunt Magnif. Dn. Struv. *in Synt. juris feud. Cap. 6. Apb. 18.* inter quae non rarò est jurisdictio, ut nimirum habeant potestatem reddendi jus in Civilibus ut & criminalibus, eamque non ut olim administratoriam sed perpetuam ipsique Castro seu Feudo coherentem Dn. Struv. *in Synt. jur. civ. Ex. 4. tb. 80.* eapropter & illos hoc jus habere quibus talis jurisdictio concessa, certum est.

IV.

Sed cum hic benè distingvendum sit vel de jure Civ. inter merum & mixtum Imperium, ut illud sit habere Gladii Potestatem (vöce Gladii tropicè accepta pro signo quod in Exercitio judiciorum publicorum seu criminalium gladius signi loco præferri soleat Bachov. *ad Trentl. Disp. 3. de Jurisd. tb. 5. Lit. A.* seu ἀλλοτρίως de graviore criminum coërcitione Wissenb. *ad ff. P. 1. D. 6. tb. 7.*) ad animadvertendum in facinorosos *L. 3. ff. de Jurisd.* Hoc verò habere potestatem coërcendi modicè contumaces & exequendi sententiam Dn. Struv. *d. Ex. 4. tb. 62.* Wissenb. *d. 1. tb. 22.* Vel moribus hodiernis præsertim Saxonice inter criminalem seu Superiorem Hals-oder Obergerichte & civilem seu inferiorem Erb-oder Niedergerichte Carpz. *in Pr. Crim. P. 3. Qu. 109.* Conf. Berlich. *P. 1. Concl. 2. n. 9.* omnino videndum erit an ei etiam competat hoc
jus

ius Numellarum cui jurisdictio tantum inferior concessa,
an verò ei qui merum Imperium seu superiorem habet ju-
risdictionem.

V.

Et hic in varias abeunt partes Dd. alii illam, alii hanc
opinionem habentes. Illam defendit Berlich. *Part. 1.*
Concl. 1. n. 13. & dicit propterea Numellarum publicarum
erectionem non ad superiorem jurisdictionem spectare,
quia in oppidis & pagis, ubi Magistratibus Municipalibus
& Nobilibus saltem inferior competit jurisdictio, ejusmodi
Numellæ erectæ videantur, & reprobi homines qui vel
in Tabernis publicis tumultus excitant vel, alios verbe-
rant vel ligna & gramina aliis furantur, ad eas sistantur.
Cui adstipulatur Petrus Jacobus *in sua Practica Aur. sub.*
Rubr. de Jurisd. n. 62. qui etiam ex hoc Argumento, quod
ibi quis tantum ponatur pro levioribus criminibus, con-
tendit esse signum bassæ jurisdictionis.

VI.

Sed quicquid hi dicant, contrarium tamen verius es-
se & ad merum Imperium seu superiorem jurisdictionem
Numellas pertinere putamus: Ibi enim rei seu delinquen-
tes sistuntur eo fine ut omnibus quasi in spectaculo sint
conspicui & deridendi proponantur cuncto populo, ut
ipsorum Pœna sit metus & Exemplo aliorum Conf. Zas.
ad L. Imperium 3. ff. de Jurisd. Mynsing. Consil. 16. num. 30.
Carpz. in Pr. Crim. P. 3. Qu. 109. n. 73. & Jurispr. For. P. 3.
Const. fin. D. 14. n. 4. Besoldus Tr. de Jurisd. Imp. Rom. in
Consil. eidem Tr. annexo fol. 92. & in Discurs. Polit. de Æ-
rar. Publ. Cap. 5. p. 99. Et sic etiam bene responsum fuit
olim à Facultate Jurid. Jenensi testante Colero *P. 2. Decis.*
240. n. 2.

VII.

De Experientia ergò quâ nititur Berlichius *d. Concl.* 7. n. 13. admodum dubitamus; nam quamvis interdum propter leve aliquod crimen, quod fortè non videtur esse meri Imp. quis Numellis alligetur, non tamen sequitur, jus tales Numellas publicas erigendi non esse meri Imperii seu superioris jurisdictionis; quid quod, & leves castigationes teste Mynsing. *d. Consil.* 16. n. 25. esse meri Imperii intelliguntur, quando propter alicujus maleficii vindictam imponuntur, conf. Zas. *d. l.* n. 17. Nonne autem est maleficium, quando quis ligna & gramina aliis furatur, vel alios verberat? Præterea regulariter aliàs nemo ad Numellas fistitur, nisi qui crimen tale perpetravit, quod sua indole ad supremam jurisdictionem pertinet teste Carpz. *alleg. L. Qv. 109. n. 73. in fin.* Et pôsitò, quod quis interdum habeat erectas Numellas, quamvis non habeat superiorem jurisdictionem plenam; nam potest fortè hoc jus per præscriptionem acquisivisse de quo *infr. tb. 12.*

VIII.

Et hæc assertio, quod jus Numellarum spectet ad merum Imperium s. superiorem jurisdictionem, maximè procedit de Jure Saxon. cujus virtute **Pranger und Stöcke** connumerantur inter genera pœnarum corporalium (à quo quamvis recedat & dissentiat Carpz. *vid. supr. C. 1. th. 7.* non tamen dissentit ab eo quod spectent ad merum Imperium) & dicuntur ad instar furcarum esse inventa eum in finem, ut facinorosi homines istis pœnis mediantibus condemnentur pro delictorum qualitatibus unus mitius & alter durius Coler. *d. Decis.* 240. n. 3. Furcarum autem erectionem esse Signum meri Imperii ac per illam probari jurisdictionem superiorem testatur Baldus *in L. A. Procuratore 13. C. Mandati.*

IX.

IX.

Et si prætereà Jure Sax. Gerada, res expeditoriæ & Hereditas deficientibus aliis Successoribus ideò supremam jurisdictionem habendi concedantur, ut inde Numellas, Cippos, patibula & alia ad castigandos facinorosos necessaria extruere & servare teneatur, consequens erit, eas ipsas res sc. Numellas & similia ejusdem quoque esse jurisdictionis; propter quod enim unumquodque tale est, illud magis tale est. Vid. Goldbeck. *de Gerada Sax. Cap. ult. n. 11.* Conf. Weichbild *L. 2. Part. 59.* juncta Glossâ ibi: Gerade so er bloß stirbet / wird den Richter darum gefolget / daß er Richterliche Gewalt / und davon Stöcke / Pranger / Galgen und allerley Sachen damit man Missethäter peiniget umb ihren verdienten Lohn / halten soll. Dan. Moller. *ad Constit. Elect. Sax. P. 3. C. fin. n. 9.* Schneidvv. *ad Inst. Tit. de Hered. qua ab int. sub Rubr. de Successione Fisci n. 17.*

X.

Verum itaque manet atque indubitatum Numellas ad merum imperium seu supremam Jurisdictionem pertinere, ideoque à judice bassam tantum jurisdictionem habente erigi non posse, Goldbeck. *d. l.* Add. Petrus Theodoricus *in Judic. Crim. Pract. Cop. 10. Aph. 5. num. 6.* Sicque etiam responderunt Scabini Lipsienses Mense Oct. Ao. 1605. uti refert Carpz. *in Pr. Crim. P. 3. Qu. 109. n. 74.* Quod responsum hic lubet inferere: Ob nun wol die N. N. zu Denstadt in vorbemelten Dorffe N. der Unter und Erbgerichte berechtiget / so seynd sie doch daher weder auff ihren noch des vom Krombedorffs Grund und Boden daselbsten Hals-Eisen setzen zu lassen nicht

Befugt/ sondern das neulicher Zeit gesetzte Hals-Eisen
wieder abzuschaffen schuldig. V. N. W.

XI.

Nunc etiam optimè illa Quæstio decidi poterit, scilicet, an concessa jurisdictione in genere, intelligatur quoque concessum hoc jus Numellarum? Quod negamus ex illo fundamento, quia pertinet, uti dictum, ad jurisdictionem superiorem, jurisdictio autem superior regulariter sub simplici concessione non continetur Magnif. Dn. Struv. in Synt. juris feud. C. 6. Aph. 18. n. 4. & Synt. juris civ. Ex. 4. tb. 80. Quanquam merum quoque Imperium seu jurisdictionem superiorem ita comprehendi velit Carpz. P. 2. C. 40. D. 6. & in Pr. Crim. Qv. 109. n. 89. & seqq. ubi etiam n. 93. Præjudicio hoc confirmat: Moribus tamen tunc demum admitti hoc posset si vox omnimoda sit, addita mit allen und ieden Gerichten vel mit alien Gerichten und Herrlichkeiten; Vox enim Herrlichkeiten Regalia involvit & inde innuit jura in eminentiori gradu esse concessa, Dn. Stryek. in Exam. juris Feud. Cap. 8. Qv. 24. atque in Notis privatim. ad d. Qv. 24. traditis.

XII.

Sed annon præscriptione tale jus sibi quis acquirere potest? Et omninò putamus posse; præsertim moribus hodiernis, ubi jurisdictio patrimonialis dicitur Petrus Jacobus in Pr. Aur. sub Rubr. de Jurisd. n. 16. & sic tota præscribi potest Brunn. in Repetit. Paratitl. Wesenb. L. 2. T. 1. Qv. 19. etiam superior seu merum Imperium Mynsing. d. Consil. 16. n. 20. ubi addit, quod communiter hoc à Dd. receptum sit, quamvis olim controversissima fuerit dubitationis.

XIII.

XIII.

Distingvendum tamen hic, an inferior contra inferiore præscribat, an verò inferior contra superiorem seu Principem. Priori casu sufficit tempus consuetum Rosenthal *de Feudis Cap. 5. Concl. 17.* nimirum jure Civ. si cum territorio præscribitur 10. vel 20. ann. si citra territorium ut res incorporalis 40. ann. Zas. *ad Tit. de Jurid. num. 33.* Matth. Stephani *de Jurisd. L. 1. C. 38. n. 33.* Jure Sax. verò 30. ann. cum anno & die, nam eo jure duæ tantum dantur præscriptionis species, una annalis quæ mobiles res, altera tricennalis qua immobiles & incorporales præscribuntur Schneid. *ad. Inst. Tit. de Usucap. sub Rubr. de speciebus Præscript. n. 53.* Procedit autem hoc sub certa limitatione, ut scilicet interveniat scientia & patientia ejus ad quem aliàs jurisdictio pertinet, hæc autem probatur satis per frequentiam ejusmodi actuum jurisdictionalium, quos publicè & palam aliquis ejusque antecessores exercuerunt Mynsing. *d. l. n. 40.* Nec obstat quod hic nullus adsit Titulus nec bona fides, nam talis longissima patientia & conniventia titulum & b. f. inducit *arg. L. Labeo 19. ff. de Aq. & Aq. pluvi. arc. Conf. Carpz. P. 2. C. 3. D. 7. n. 12. & seqq. Besoldus in Tr. de Jurisd. Imp. Rom. pag. 91.*

XIV.

Posteriori casu si inferior contra Principem præscribere velit jurisdictionem, & per consequens jus Numellarum, opus esse præscriptione immemorali certum est, *arg. Cap. super. quibusdam 26. ff. Præterea X. de V. S.* Et hæc immemoralis Præscriptio est instar Tituli legitime constituti per *L. 3. §. 4. ff. de Aq. cott. & est. æquiparaturque Privilegio & eandem vim habet quam ipsa concessio specialiter facta Dn. Stryck. Vol. 2. Disp. 5. C. 2. n. 30.*

XV.

XV.

Si itaque quis ut & ejus Prædecessores hoc jure Numellarum usi fuerint tanto tempore, quod secundum jura dicta requiritur, an per hoc etiam videantur cætera, quæ sunt meri Imperii seu jurisdictionis superioris præscriptisse? Et dicimus quod non: Regulariter enim tantum præscriptum, quantum possessum Carpz. P. 2. C. 3. D. 27. n. 1. Conf. Brunn. in Repet. Paratitl. Wesenb. L. 2. T. 1. Qv. 32. & præscriptio est stricti juris, tendit enim in præjudicium tertii Petr. Jacob. in d. Pract. Aur. sub Rubr. de Jurisd. n. 67. Si quis ergo in generali possessione jurisdictionis fuerit, non poterit Præscriptio actuum specialium quos alter præscripsit ad actus similes extendi, cum hi remansisse videantur salvi penes illum, qui in generali possessione est. Dn. Strick. in Not. ad Brunn. jus Eccles. L. 2. c. 11. §. ult.

XVI.

Quanquam autem uti sæpius dictum, illi tantum hoc jus Numellarum competat, cui Jurisdictio superior concessa per investituram aut qui præscriptione justa acquisivit, non tamen mox poterit indistinctè exerceri sed insuper requiritur, ut quoad reum sit judex competens Carpz. in Pr. Crim. P. 3. Qv. 107. n. 73. nam hoc in pœnarum afflictione semper attenditur; Fit autem competens vel ratione delicti, ubi scilicet commissum, vel ratione deprehensionis ubi scilicet reus reperitur Conf. Brunn. in Proc. Crim. C. 3. n. 5. ubi pluribus tractat ea quæ spectant ad fori competentiam in Criminalibus.

XVII.

Quæritur autem an & Judex Ecclesiasticis habeat hoc jus Numellarum seu potestatem puniendi Numellis? Et cum *supr. tb. 6. & seqq.* h. cap. dictum, quod hoc pertineat

ineat ad superiorem jurisdictionem, adque Numellas facile nemo sistatur, nisi tale Crimen ad hanc jurisdictionem pertinens commiserit. *Carpz. sep. cit. Qv. 129. n. f.* aut fustigationem, aut membri abscissionem, ad minimum relegationem meruerit; *Vid. Constit. Crim. Art. 198.* ideoque & hanc Quæstionem negativè decidendam esse putamus: Notum quippe est, Consistoriis s. iudicibus Ecclesiasticis bassam tantummodò concessam esse jurisdictionem **die Erb- und Nieder- Gerichte** / non verò altam s. merum Imperium docente *Carpz. in Jpr. Eccles. L. 3. D. 5. n. 7. & D. 73. n. 18.* & Clericum vel Episcopum cujus personam Consistorium repræsentat interesse judiciis criminalibus non solere *Carpz. d. L. n. 11.* sed ubi Crimen vigore jurisdictionis altæ est vindicandum, pœnæ dictamen executionemque ad judicem spectare Politicum, *Vid. Idem Carpz. d. l. n. 8.*

XVIII.

Postquam itaque nunc vidimus, cui hoc jus competat, offert se illa Quæstio: An tales statux famosæ seu signa Numellaria possint poni in Sacris Locis puta Cæmiteriis? Hanc Quæstionem aliquando propositam fuisse meminit *Theodoricus in Judic. Crim. Pract. Cap. 10. Aph. 5. num. 7.* Et negat hoc quidem *Matth. Colerus P. 2. d. 240. num. 5.* putans ejusmodi columnas non ponendas esse in locis sacris sed potius circa tabernas publicas; sicque pronunciatum esse dicit à *Jenensibus Mens. Febr. Ao. 1580.* Sed cum ipse se fundet in eo, si nimirum jus Patronatus pertineat ad alium, quàm habentem ejus loci jurisdictionem superiorem omninò illa decisio locum invenire potest: Secus ergò si jus Patronatus simul competat, sic enim nullum reliquum manet dubium, quo minus Numellæ Muris Templo-

C

plo-

plorum vel in cæmeteriis affigi & ad eas rei listi possint.
Conf. Carpz. *Pr. Crim. P. 3. Qv. 119. n. 77. & 78.*

XIX.

Sed an hoc fieri possit absque consensu Consistorii Ecclesiastici? De hoc, si Jurisdictioni superiori jus Patronatus conjunctum, iterum ambigendum non est & sic etiam affirmat Theodoricus *d. l.* & Carpz. *d. l.* Nam ad quem universaliter spectat jurisdictio in oppido vel Pago, eandem quoque regulariter habebit in Cæmeteriis aliisque locis Religiosis intra ipsius territorium sitis, donec exemptio probetur, vid. Köppen *Decis. 48. num. 308. & seqq.* & concessio sine superioris jurisdictionis seu ipsa punitione per Numellas, quæ ad superiorem spectat jurisdictionem etiam illud concessum intelligitur, per quod ad talem punitionem pervenitur Theodor. *d. l. n. 7.*

XX.

Jam adhuc illa restat quæstio: An ille, cui concessum hoc jus Numellas erigendi, non verò erexit sed post concessionem tempus 100. annorum prolabi passus est, illud amittat? Et rectè hoc negat Besoldus *in Consil. Tr. de Jurisd. Imp. Rom. annexo pag. 93.* ex hac ratione, quia meræ facultatis est ejusmodi signa erigere: Illud autem quod meræ facultatis, post quodcunque temporis spatium fieri potest, nullâ præscriptione impediente, nisi accesserit prohibitio & alter acquieverit, uti hoc communiter limitatur Vid. Dn. Strauch. *ad univ. Jus Just. Diff. 8. Apb. 7.*

Quid si autem erectæ & iterum collapsæ? Et adhuc restaurare licebit per tradita Wesenb. *Consil. 95. n. 23.* nam in materia jurisdictionis concessio uno reliqua omnia concessa videntur, sine quibus concessa expediri nequit *L. 2. ff. de Jurisd.* Besoldus *d. l. pag. 103.* Et hæc de iis quæriti possunt hoc jure, sequitur. CAP.

CAP. III.

DE

*Iis contra quos exerceri potest
hoc jus.*

I.

Quoniam ut supra dictum, hoc jus adversus neminem exerceri potest, nisi qui tale commiserit crimen, quod hæc poena dignum, inquirendum nunc erit, quænam sint talia crimina.

II.

Et mox se offert (I) erimen illud nefandissimum & horribilissimum Blasphemia scilicet, non illa, quam immediatè in DEVM quis committit, hæc enim punitur poenâ Gladii Carpz. P. 4. C. 1. D. 1. §. 2. & in Pr. Crim. P. 1. Qv. 45. n. 20. Conf. Brunn. in Process. Crim. C. 9. n. 7. nisi hæc poena pro delicti qualitate mitigetur, quod interdum fieri potest per Art. 106. Const. Crim. §. Recess. Imp. de anno 1530. Tit. von Gotteslästerung und Schweren Conf. Carpz. d. 1. D. 3. & loco Gladii abscissio membrorum vel secundum hodiernum Consuetudinem fustigatio dictatur, nam & tunc talis blasphemans Numellis sisti poterit Vid. Const. Crim. 198. sed si quis mediatè tantum in DEVM Blasphemias evomuerit, quod fit, quando juraverit vel maledixerit per Sacramenta, Passionem & Vulnera Christi, ubi quidem in Imperio Rom. Germ. poena est arbitraria per de Recess. Imp. de anno 1530. d. 1. Conf. Coler. P. 1. Dec. 172. n. 3. attamen in Provinciis Saxonis ultra poenam arbitrariam quam luunt ejusmodi maledicentes, etiam præ foribus Tabernarum vel Templorum publicè sistantur in Numellis

C 2

lis

lis Carpz. P. 4. C. 1. D. 6. num. 5. & seqq. ubi sic quoque responsum fuisse refert in causa Hansen Reinharts zu Waldenburg Mens. Febr. 1628. daß Beklagter wegen seines verübten Fluchens und Sacramentirens andern zum Abscheu vor die Kirchthür oder Schenckstädt an das Halseisen zwei Stunden lang öffentlich ieder-
männiglichen anzuschauen gestellet und darauff drey Wochen lang mit Gefängnis gestrafft werde. B. R. W.

III.

Nec in hoc crimine maledictionis per Sacramenta aut vulnera parcitur aut indulgetur Nobilibus, cūm hodiè iis sc. qui solo nomine absq; ulla virtutis & honestatis mica se tales jactant, frequentius verè & quasi innatum sit hoc crimen, uti eleganter ostendit Carpz. d. l. D. 7. n. 3. & seqq. & iterum sic responsum esse dicit. Mens. Febr. 1571. So werden bemelte von Adel von wegen ihres geübten und begangenen Fluchens / wofern unser Gnädigster Herr der Churfürst von Sachsen ihnen keine Milderung erzeigen wolte / billich vor die Kirche oder das Rathhaus iedermänniglichen anzuschauen gestellet und darnach mit gefängnis in Straffe genommen / B. R. W.

IV.

Nec parcitur ei qui prima solummodò vice delinquit, etsi ejusmodi maledictiones ab ipso nunquam auditæ antea fuerint, uti iterum præjudicio quod latū Mens. Febr. 1628. confirmat Carpz. d. l. D. 8.

V.

(II) Blasphemantibus adjungendi sunt pejerantes seu qui perjurium commiserunt: hi, quia hodiè, non attentò eò, quod jure Civ. Rom. nulla perjurio dictetur poena, sed

sed ultioni divinæ committatur, per *L. 2. C. de R. Cred. § L. 2. C. ad L. Jul. Maj.* arbitrariè & pro negotii, in quod incidit, qualitate puniuntur *Carpz. P. 4. C. 48. D. 4. n. 5.* Matth. Stephani *ad Art. 107. C. C.* interdum etiam sistuntur in Numellis publicis & postea vel relegantur vel alia poenâ afficiuntur & sic in Scabinatu Jenensi Mens. Augusti 1683. responsum fuit. P. P. Sprechen wir vor Recht daß beimeste Inquisitin wegen des begangenen und gestandenen Mein-Endes eine Stunden lang am öffentlichen Pranger zustellen/ und nebenst Erstattung der Unkosten mit ewiger Landesverweisung zubelegen/ B. R. W.

VI.

(III) Obtinet contra eos, qui commiserunt crimen Prævaricationis de quo *Art. 115. C. C.* Quando nimirum Procurator ad litem datus, dolô malô, proditâ causâ clientis sui, seu civilis seu capitalis fuerit, adversam partem adjuvat, proprias probationes dissimulat, falsas excusationes, probationes, exceptiones admittit, & causam adversario donat, eos in lite vincere, quibus superior esse poterat, patitur, spontè litem concedit; ex actoris parte in rei vel contra it *L. 1. §. 1. § 6. de SCt. Turpill. junct. L. 1. de Prævaricat. Conf. Wissenb. ad ff. P. 2. D. 31. tb. 19.* Et hujus poena est, postquam Clienti suo omnem jacturam quam inde fecerit, & omne commodum, quod, nisi causa prodicta fuisset, percipere potuisset, quantum ejus interest, restituerit & resarciverit, ut etiam publicè in Numellis s. columna publicationis exhibeatur, virgis cædatur; in exilium mittatur, aut his pari poena afficiatur *per d. Art. 115. ibi:* So ein Procurator fürseßlicher/ gefährlicher weise seiner Parthey in Bürgerlichen und peinlichen Sachen zu
C 3
Nach-

Nachtheil/ und dem Wiedertheil zu gut handelste/ und solcher Ubelthat überwunden würde/ der soll zuörderst seinen Theil nach allen Vermögen/ seinen Schaden/ so er solcher Sachen halben empfähet/ wiederlegen/ und darzu in den Pranger oder Halseisen/ gestellet/ mit Rütchen ausgehauen/ des Landes verbothen/ oder sonst nach Gelegenheit der Mißhandlung in andere Wege gestrafft werden/ Conf. Menoch. *de A. J. Q. L. 2. Cas. 323.*

VII.

An autem hic per Procuratorem Advocatus etiam intelligitur? Et negari hoc vix poterit; siquidem admodum generaliter loquitur hæc Constitutio. Conf. Theodoricus *in Judic. Crim. Pract. cap. 3. Aph. 14.* quanquam propriè loquendo sub nomine Procuratoris Advocatus non contineatur; nam ille tantum sollicitat & gerit, hic autem in jure instruit Brunn. *in Repetit. Paratitl. Wesenb. L. 3. T. 3. Qv. 3. § 78.* Unde & adhuc hodiè extra ordinem solet puniri si prodiderit causam seu colluserit cum adversario *L. 1. C. de Adv. div. jud. Brunn. d. 1. Libr. 47. T. 15. Qv. 5.* & tenetur Domino actione mandati ad interesse Dn. Struv. *in Synt. jur. Civ. Ex. 48. th. 100.*

VIII.

(IV) Obtinet jus seu pœna Numellarum in Lenocinio & in illis, quorum ope, auxilio, consiliove adulteria conciliantur; adeò ut hi Lenones Lenæque nec non ii qui scienter domos suas ad id præbent *L. 3. §. 3. ff. de Accus.* pro delicti qualitate publicè in loco ignominioso, veluti columna publicationis ponantur vel relegentur vel fustigentur per *Const. Cr. Art 123.* ibi: **Dieselbige bößhafftige Kupler und Kuplerin/ auch diejenigen so wissendlicher/ und**

und gefährlicher und bößhafftiger weise ihre Häuser darzu leihen / oder solches in ihren Häusern zu geschehen gestatten / sollen nach Gelegenheit der Verhandlung und Rath der Rechtsverständigen / es sey mit Beweissung des Landes / Stellung im Pranger &c. gestraffet werden. Add. Berlich. P. 5. Concl. 40. n. 61. & seqq.

IX.

(V) Exerceri potest adversus eum per Art. 158. C. C. qui quidem prima vice committit furtum, quod tamen V. solidos vel aureos non attingit, neque ipse fur aliquid fregit neque ascendit, sed tantum in ipso actu furandi, vel post actum in loco ubi furtum fecit, vel antequam rem ablatam ad destinatum locum pertulit, deprehensus fuerit, vel si fuerit visus & acclamatus; sic enim dicitur furtum manifestum per d. Art. 158. & propterea Numellis publicè exponitur, virgis ceditur & postea relegatur Conf. Brunn. in Process. Crim. C. 9. n. 86. Berlich. d. P. 5. Concl. 43. n. 57. & seqq. nisi ejusmodi fur sit honesto loco natus, vel sit persona in qua spes melioris frugis & ementationis superest; tunc enim is, cum consensu tamen superioris, civili aliqua poena mulctabitur, ut tanquam fur manifestus quadruplum ei, cujus interest, qui actionem furti habet, restituat Conf. Stephani ad d. Art. 158.

X.

(VI) Locum invenit in eo qui secunda vice furtum committit per Art. 161. C. C. Debet autem hoc furtum iteratum & secunda vice perpetratum certam habere qualitatem secundum hunc Art. 162. ut scil. consistat infra summam 5. solidorum; nam hic non agitur de furto singulariter qualificato, puta per consensionem seu effractionem commisso, in tali enim furto non attenditur iteratio, nec

an prima vel secunda vice commissum sit, sed ut periculoso-
sum ordinariâ capitis pœna indistinctè plectitur per *Art.*
159. C. C. Carpz. P. 4. C. 32. D. 9. Brunn. d. C. 9. n. 86. nec
intelligitur hi furtum majus, nam id etiam per se, si cate-
ræ circumstantiæ concurrant, punitur per *Art. 160. C. C.* ;
sed tantum furtum iterato commissum: nec respicitur hic
an furtum manifestum, vel non manifestum, an fur ἐπ' αὐ-
τοφθέγω uti Justinianus loquitur in *§. 3. Inst. de O. qua ex*
Del. nasc. deprehensus sit, nec ne, uti id requiritur in *prac.*
Art. 158. sed sola spectatur hic iteratio, & præter hanc fur-
tum legitimis modis debet esse demonstratum at que dete-
ctum *Conf. Tabor in Anal. ad. d. Art. 161.* & in hujusmodi fur-
to dictatur pœna communis, quæ ubique in usum facile
potest deduci nempe alligatio furis ad Numellas Berlich.
P. 5. Concl. 43. n. 84.

XI.

(VII) In illis etiam locum habere potest qui fructus
maturos edibiles essende Früchte quales sunt uvæ, poma,
pira cerasa etc. furantur, sicuti etiam refert Berlichius *d. P.*
5. C. 53. n. 19. quod cuidam qui per biennium uvas ex vinea
sæpius abstulerat, cùm sciri non potuisset, quantum fura-
tus esset, dictata fuerit hæc pœna ut scilicet per horam po-
neretur ad Numellas & postea ad biennium relegaretur.
Conf. Moller. ad Const. Sax. 37. P. 4.

XII.

Denique putamus in genere invenire locum jus seu
pœnam Numellarum, in omnibus illis qui tale commiserunt
delictum, quod amputationem lingvæ, mutilationem di-
gitorum, auriumque resectionem (quæ pœna exerceri so-
let contra infamia scorta, item Crumenifecas, ut innote-
scant aliis & sibi ab iis caveant teste Matth. Stephani *ad Art.*
198.

198. C. C.) fustigationem, relegationem vel aliam similem.
pœnam pro delicti qualitate meruerant uti ex d. Art. 198.
satis apparere potest.

CAP. IV.

DE

*Fine, Effectû & Affinibus juris
Numellarum.*

I.

POSTquam nunc vidimus, quibus competat jus Numel-
larum, atque contra quos, seu quibus casibus, conse-
quens erit, ut etiam solliciti simus, quo fine & effectu ex-
erceatur; Quia ergo hoc jus Numellarum omninò indu-
cit jus seu facultatem iisdem puniendi per dicta supra, Pœ-
næ autem omnes sive civiles sive criminales sine fine suo
esse non possunt, sed semper hunc præ se habent, ut vel
sollicita justitiæ administratione Numinis divinæ indigna-
tio evitetur *vid. Can. Non potest. 32. C. 23. qv. 4.* vel delin-
quentes libidine peccandi extincta emendentur *L. 20. ff. de
Pœn. vel alii exemplo horum deterreantur L. 1. §. 1. ff. cod.
& l. 1. C. ad L. Jul. Repet. & boni suâ securitate fruantur,*
sic procul omni dubio iudex seu Magistratus hunc habebit
finem, quando hoc jus Numellarum exercendo delin-
quentes punit; quare enim in publicis locis tales Numellæ
eriguntur? ut nimirum rei ibi omnibus conspiciendi si-
stantur atque alii horum exemplo ab hujusmodi delictis,
qualia hi commiserunt, avocentur. *Vid. Coler. jam. supr.
alleg. Decis. 240. n. 2. Conf. Carpz. in Jurispr. Eccles. L. 3.
D. 79. n. 6.*

D

II.

II.

Effectum quod atinet putamus illum maximum esse scilicet Infamiam; Expediti enim juris est, quod uti ille, qui ad mortem condemnatus ex publico iudicio, infamis fiat, sic etiam hic, qui ad poenam corporis afflictivam, veluti fustigationem, manus amputationem etc. condemnatur; Et licet poena Numellarum secundum Carpzovium *vid. supr. Cap. 1. tb. 7.* poena corporis afflictiva non sit, quia tamen poenae corporalis irrogandae, interdum est praeparatorium quoddam, ut scilicet quis prius his Numellis sistatur, quam fustigetur, uti patet ex *sape cit. Art. 198.* omnino eos tali poena affectos comitari infamiam statuimus; sub intelligendum tamen hic causam fuisse famosam, poena enim per se simpliciter non importat infamiam *per l. 22. ff. de His qui not. inf.* Idem etiam statuimus de iis qui postquam per certum tempus his Numellis alligati, relegantur.

III.

Sed quid de illis dicendum, qui simpliciter nulla facta mentione, fustigationis, relegationis etc. Numellis alligantur, an & hi fiant infames? Et omnino putamus hoc non simpliciter asserendum; carcer enim & sola vincula non irrogant infamiam *Wissenb. ad ff. P. 1. D. 11. tb. 26.* sed iterum ex causa iudicandum *arg. d. l. 22.* nam interdum juxta locorum consuetudinem pro levi quodam delicto his Numellis sistitur reus; quanquam moribus hodiernis, ubi infamia magis aestimatur teste *Carpz. in Pr. Crim. P. 3. Qv. 129. n. 52.* & hic pro infami haberi posset, non tamen de jure hoc procederet: Si ergo causa fuerit famosa e. g. si quis propter furtum aliquod admodum leve, aut etiam propter dolum (nam & propter dolum, si ejus in sententia fiat

fiat

fiat mentio *L. 4. §. 1. & 2. ff. de susp. Tut.*, quis potest fieri infamis §. *suspectus 6. Inst. de Susp. Tut. L. fin. C. eod.*) & similia delicta Numellis publicè sistatur, eum infamiam comitari nulli dubitamus.

IV.

Quamdiu autem sic duret infamia de eo potest videri *Carpz. in Pr. Crim P. 3. Qv. 136.* ubi *n. 57.* rectè asserit ad effectum infamiae pertinere, quòd ea semel imposita perpetuò duret add. *L. 43. §. 4. ff. de R. N.* ibi: *neque etiam aboletur turpitudò quæ postea intermissa est.* Distingvit tamen ipse *Carpz. n. 59.* utrum infamia imponatur ex causa seu crimine jure famoso, an vero ex causa arbitraria; Priori casu crimen ipso jure turpitudinem habere semper annexam asserit, secus casu posteriori de quo *n. 62.*

V.

Ad Affinia hujus juris ut tandem perveniamus, spectat eò (1) jus illud imponendi Lapidem famosum *Die Straff des Lastersteines*/ quem delinquentes in conspectu Populi vel in collo vel in manu circumferre coguntur quam pœnam pari modo, uti Numellarū, jurisdictionis superioris seu meri Imperii esse dicit *Zasius ad L. Imperium 3. ff. de Jurisd.* quem allegat *Carpzov. in Pr. Crim. Qv. 109. n. 75.* Et hanc Lapidis impositionem seu pœnam frequentari in quibusdam Sveviæ Civitatibus testatur *Mynsing. Consil. 16. n. 25.* Imò etiam in aliquibus Civitatibus Superioris Lusatiae, præsertim Budisse in usu esse, ipse novi; ubi quidem non vocatur pœna Lapidis sed pœna Lagenarum *das Flasbentragen*; nam pendent ibi ejusmodi duo Lapidés in forma Lagenarum in cella publica, ut omnibus sint conspicui; & imponuntur potissimùm mulierculis rixosis, quæ à verbis pervenerunt ad verbera.

VI.

Deinde (2) jus imponendi mitram huc referri potest quæ imponitur criminosis, qui vel fustigari vel igne cremari debent, ut ita mitrati producantur in publicum in majorem ignominiam de quo pluribus vid. Jul. Clarus l. 5. *Recept. Sent. §. fin. Qu. 70. n. 8.* Huic mitræ similis ferè est ferta illa straminea *Der Strohhantz* quam in quibusdam civitatibus harum Provinciarum majoris ignominia causa imponunt scortis relegandis.

Et hæc sunt, quæ tumultuariâ crenâ pro Ingenii atque materiae hujus conditione conscribere licuit. DEO autem Ter Opt. Ter Max. ex cujus gratia has paginas incepi & jam felicem impono colophonem, gratias persolvo humillimas, devotissimas, quod & huic Disputationi & aliis meis Studiis huc usq; Spiritus sui S. auxilio tam clementer adesse voluerit; insuperque calidissimis ipsius rogito bonitatem precibus, ne etiam imposterum meis studiis aspirare benedictione sua divina dedignetur, quò sic per ipsius assistentiam feliciter cedat actionum mearum principium &

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Merum Imperium nec hodiè mandari potest.

II.

Jurisdictio à Principe per feudum collata, nec cumulative nec privative concessa censetur.

III.

Si quis habeat jus exigendi Gallinam jurisdictionalem



lem das Rauchhün præsumi solet meri Imperii compe-
tentia; licet non infallibilis hæc nota sit.

IV.

Hoc argumentum in jure publico non procedit: Hic
habet merum Imperium oder das Cent-Gerichte / ergo
quoque gaudet jure reformandi Exercitium Religionis.

V.

Deductio, vulgò die Durchfuhre der Maleficanten,
à Statu Imperii alii Statui denegati non potest.

VI.

Reus, cui concessus salvus conductus, in carcerari &
puniri potest.

VII.

Non potest Magistratus deprehensionis Magistratui
loci in quo delictum commissum reum captum invito ob-
trudere, ut recipiat & de eo pœnas delicto convenientes
sumat.

VIII.

Quanquam Collegiis opificum quandoque quædam
concepi soleat jurisdictio, attamen si Sutor Collegio Suto-
rum insinuaverit Testamentum, illud ut judiciale non va-
lere putamus.

IX.

Magistratus Civitatum provincialium, licet omnis
jurisdictio & circa administrationes bonorum Civitatis
libera potestas iis à Principe concessa, nihilominus tamen
Principi rationes reddere tenentur.

X.

Quando Administrator sæpius se offert ad rationes
reddendas, & Dominus est in mora, illò mortuò, Heredes
ejus ad justificationem dubiorum non tenentur.

D 3

XI



XI.

Puella Homicidam liberare requit, si ejus expetat matrimonium, sed benè Furem, cui tamen si puellæ mores & amores displiceant, an festinare ad patibulum possit, quoad conscientiam dubium est. Nobis affirmativa placet.

XII.

Si juvenis Puellæ, vel hæc vice versa illi, neglecto Parentum consensu, promiserint invicem in literis matrimonium, additis execrationibus: *Nisi te in uxorem duxero, Diabolus me abripiat*, nulla contracta est obligatio.

Parietibus Themidos designas jura Numellæ eximiè, exsinuasque caput. *Cordatus* agona ingrederis cupidè. Sic *Niceteria* nostræ accipies cathedræ. Te conscia Pallas honorat, atque *Daphne* meritum plebeis eximit Umbris.

Præ-Eximio Domino Authori amicâ m. & m. animitus gratulat.

Johann-Volk. Bechmann/D.
& PRÆSES.

In vigilasse libris publicè quam pulchrum & honestum

Exemplo monstras, utile te manet hinc.

Nob. Domino Aut. Faut. hon. scrib.

J. B. Friese/D.

Dum





Dum NUMELLARUM JUS doctâ voce resolvîs,
Queis sæpe includi turba maligna solet,
Felicis specimen Studii laudabile monstras,
Quodque sit Aoniò mens tua tincta merò,
Hinc & Ego hoc docto Tibi de Conamine grator,
Quod Gens Ardalidum laudibus ipsa sonat,
Purpureamque parat pulchro de flore Coronam,
Quâ frontem merito cingere jure queat.
Nam qui NUMELLAS & vincula inertia vulgi
Evolat, hunc laudis Gloria opima manet.

*Ita Nobilissimi Domini Autoris, Auditoris
sui maximè industrii & Amici hono-
ratissimi optimis conatibus applau-
dens scrib.*

Joh. Ern. Wedefind / D.

Pulchrum nocturnis est impallescere chartis
Quod quoque presenti Tute labore probas.
Egregium specimen doctrinam pandit & artes,
Queis mentem constat Te coluisse tuam.
Tenditur ad metam cursu nisuque decenti,
Doctos expectant premia digna viros.
Gnaviter ut solitus jam porrò currere perge,
Temporibus laurum nectit Apollo tuis.
Pauculis hisce Gratulantium numero
sefe adjungere voluit

**Jonas Jonstonius, Glogâ
Silesius J. U. Stud.**


DN.



☀ (o) ☀

DN. CHRISTIANO, BENIAMINO HERB/
J. U. STVD.
CHRIST. FRID. CÖLLER/ STARG. POM.

S.

 Extus abhinc, Amicorum estimatissime, mensis volvitur, ex quo arctissimâ amicitia Academicorum Studiorum communi nos admodum conjunxit. Quò ab illo tempore alter alterum Adfectu complexus sit, & quàm anxie uterque laboraverit quò infucati & ingenui amoris publica prostarent specimina, Tu ipsemet nosti quàm optimè; me vero jucundissima dulcis conversationis recordatio haut exiguâ afficit delectatione: praeprimis melli est ac juvat, mihi nunc amplissimam natam esse gaudii & Tuae deprecanda laudis materiam, quâ cathedram conscendens dignissimè dignus & mihi & omnibus videris. Gratulor proinde Tibi, Amicorum optimè, ex animo de insigni hoc eruditionis praestantissima documento, & ut eximiorum Studiorum cursus absolvendus ad summum honoris fastigium Te producat, prolixiore adfectu quàm verbis comprecor.

Dabam Jenæ ex Museo d. 4.


Novembr. 1684.



W 17

ULB Halle 3
003 142 973



2, 84.
S. 1113. 11

L. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
RE NUMMEL-
LARVM

1684, 1

Non Granger-Recht

Quam
VINA FAVENTE GRATIA, INDULTU
nifici Fctorum Ordinis in Inclyto

Athenaeo Salano

SUB PRÆSIDIO

JOHANN-VOLK. Bechmann/
Hereditarii in Obern-Gröbra/

emti Imp. Comit. Palat. Cæsar. & Civis Ro-
P. Cod. Jur. Publ. &c. Famigeratissimi; Consil. Sax. Cu-
rovinc. ac Scab. Assessoris Gravissimi; Facult. Jurid.
h. t. XI. DECANI Spectatissimi

*Patroni ac studiorum suorum Promotoris
maximè devenerandi*

Ad Diem Novembris MDC LXXXIV.

Horis Loquoque consvetis

Publico Eruditorum Examini

subjiciet

CHRISTIAN BENJAMIN Herk/
Ruhlandô Lusatus.

JENÆ, Typis PAULI EHRICHII. 1700.

4

